



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Mariae Laudes.

Faventes¹ animis¹ decus²
Nam stipamus³ imaginis²
Mariae fidibus melos
Dulciter modulemur.

Stirpe regia, Flamini⁴
Nupta, progeniem Deum
Iesulum prope Bethlehem
Es enixa sub antro.

Hevae progeniem mala
Serpens dum scabie⁵ inficit⁶
Labis⁷ tu una manes, deae
Instar immaculata.

Virginis decus integrae
Matrum nulla tenet, tuo
Utriusque⁸ utero tamen
Gloriae sociantur.

Sensus ut macula cares,
Corpore incolumis quoque
Mortis lege procul, tui
Digno honore bearis.

Teximus tibi floribus
Serta suave orentibus, —
Sume diva⁹ puerpera⁹
Vota sume clientum:

Ferre lilia candida
Sub velamine pectorum
Dans, uti solita es bona
Sospites¹⁰ ope pubem.

J. H. Salzburgii.

¹ alázatos szivvel ² bájos képedet ³ körülvesz
⁴ Szentlélek ⁵ szenny ⁶ megmérgezi ⁷ bűn ⁸ = et
matris et virginis ⁹ Égi szülő ¹⁰ megoltalmaz.

De Olympia.


(4.)

Scripsit Franciscus Mező dr. In Latinum convertit
Carolus Ács.

Hoc Praxitelis signum, quod solum ex operibus eius superstes evaserat, in Musaei Olympii singulari¹ conclavi² collocatum est, ad quod visendum et admirandum artifices et studiosi³ artifiorum³ undique commen-
tant atque totas horas sedentes pulchritudine eius satiari⁴ nequeunt. Iure meritoque virili⁵ pulchritudinis quaedam species appellatur. Artifex deum trunco arboris innixum et Dionysium parvulum sinu portantem atque veste in truncum, ut inde vestis sinus ad terram deflueret, coniectā nudum finxit. Per omnes partes nativa quaedam venustas difusa est totumque opus levitatem et molli-
tatem prae se fert.

Proximae sunt templo parietinae⁵ exedrae⁶

¹ külön ² terem⁵ ³ művészettudományos ⁴ betelni
⁵ romjai ⁶ tágas tér ülésekkel.



Herodis, cuius origo inde repetenda est, quod ludi Olympia sole maxime calente edebantur, qua re factum est, ut et spectantes et certantes solis fervidissimo aestu et aquae⁷ penuria⁷ mirum quantum crucierentur. Herodes Atticus rhetor Marathonius ditissimus saeculo p. Chr. natum secundo sua ipsius impensa aquaeductum aedificandum curavit, cui tamquam operis perfectis accessit exedra summo artificio exstructa. Aquaeductus instar⁸ radiorum⁸ totam Olympiam amplexabatur modo subter modo supra terram canaliculis apertis, qui exstant, aquam sup-

peditabat, quae ex valle Alphei intermissis tribus chiliometris Olympiam perducebatur.

Ab exedra ad orientem vergebant duodecim thesauri, propter quos Iovis parvulae statuae, «Zanes» vocatae, quae ex pecuniis⁹ multaticiis,⁹ quae athletis in certaminibus delinquentibus irrogabantur, positae sunt. Quarum basis exstat, statuae verum perierunt.

Luci latus ad orientem spectans 100 metra longa porticu terminabatur, quae quibus usibus destinata fuerit, nondum liquet. Ferdinandus Láng, professor Universitatis Debrecinensis auctor est temporibus populi Romani Neronem aut sibi aut arbitris¹⁰ certaminum¹⁰ in aedificia¹¹ mutari iussisse.

Inter partem ad orientem spectantem et thesauros cuniculus¹² 32 metra longus et 3·7 metra latus ex luco in adiacens stadium ducebatur, per quem certamine commisso arbitri et praecones et ipsi certantes in currículum procedebant.

⁷ vízhiány ⁸ sugárszerűen ⁹ büntetéspénz ¹⁰ versenybíró ¹¹ lakóhellyé ¹² alagút.



Rex et captivi.

Fuit olim rex, qui carceres regni visitare captivosque rogitare quid in leges commisissent,¹ consueverat.

Aliquando rex in area cuiusdam carceris quinque captivos conspexit in re aliqua occupatos. Rex laborem intermitti² iussit captivosque alium post alium interrogavit, cur vinculis³ mandati³ essent.

Captivus primus se nihil culpae commisisse dixit. Quod in tantum malum incidisset, per adversarios suos factum esse, a quibus falso accusatus fuisset.

«Mihi autem, — ait secundus — a culpa plane vacuo, vix praebebant⁴ aures⁴ malevoli iudices, gravissimo tamen supplicio affecerunt insontem!»⁵

Tertius quoque captivus ex errore iudicum se poenas dare affirmavit.

«Aliorum culpa, ait quartus, libertatem amisi!»

Itaque omnes vitia sua abnuebant excepto ultimo, qui se furtum fecisse fatendo solus dixit verum.

Tum rex ad praefectum carceris: «Re vera, inquit, iniquum est hunc reum cum talibus honestis viris iniusteque condemnatis eandem vitam spiritumque ducere. Timeo, ne innoxios currumpat! Solve igitur catenas eius et cura, ut quo prius dimittatur!»

Aurelius Simonyi.

1 vétket elkövet 2 beszüntet 3 bebörtönöz 4 meg-hallgat 5 ártatlan.

Iam serus vesper erat, cum circumibam ruinarum vicos et plateas. Arbores atra iam caligine obducuntur, cum redeo e stadio. Cum sacrum lucum pervadens vix inde me avelere possem, in angulo gymnasii in lapide assedi haud procul flumine Cladeo. Ut me hic iuvat remotis arbitris solum esse! Cum cogitabundus assiderem, animum subit memoria temporum vetustissimorum. Dum memoriam Olympiae gloriarum plenam replico dulcedine reminiscendi delenitus¹³ ex sinu vestis stilum et papyrum promo. Exaranti mihi in papyro verba sequacia in formam epigrammatis facile abeunt:

*Aurae nocte susurrant Grai gloriae aevi,
Conduntur densis rudera¹⁴ et arboribus.
Contueor lucum spirans pectore vocem:
Vanescit¹⁵ nitidum, gloria cuncta perit!*

Passibus tardis incedens domum redeo. Cladei pontem transeunti lene fluminis murmur obstrepit, paulo inferius autem milia rana- rum raucis sonis coaxant.¹⁶ Post grex capra- rum praetergreditur, ducis tintinnabulum¹⁷ modulate numeroseque per aures sonat. In via equi ad pabulum destinati pascuntur, magister gregis humi pronus in ventrem iacens sibilos¹⁸ edit¹⁸; agricolae, sicut maiores eorum Elei multis saeculis ante, viri tranquilli et pacifici laboribus confecti et lassi domum redeunt. Cum tardo pede incedens iterum atque iterum subsisterem¹⁹ atque respectarem, subito par oculorum currus suopte motu acti acri splendore offulget²⁰ ex ea regione, qua olim centum quinqua- ginta saeculis ante currus bigarum et quadri- garum citissimi ferebantur pulverem densissimum excitantes.

Cum domum redii, sodales et comites iam omnes quieti se dederant. Cibum ve- spertinum capturus in vicum obsonatum eo. Aegre aliquid cibi comparans deversorium ingressus sum. Per apertas fenestras in vallem Alphei despiciens defixis oculis intueor fluvium, argentea luce radiantem. Umbras mihi videor in valle et ripa inter arbores oberrantes videre. Heroes Olympii innumeri sine nomine me videntur petituri, ut poste- rus annalium scriptor et humiliis memoriam suam oblivioni eripiam. Aut fortasse noctu in his locis sacris propterea errant, quod

non poterant corona, indice aeternae felicitatis potiri. Verum enim sidera lucent eis, ut viam tenebrosa nocte ad templum Iovis inveniant.

Iam pridem nox²¹ concubia²¹ exacta est, in deversorio omnia conticuerant, solus insomnis vigilo, animo iucundissimo affec- tus vix tandem obdormivi.

Finis.

13 elbüvölve 14 omladék 15 elfakul 16 kuruttyol
17 kolomp 18 fütyörész 19 meg-megáll 20 szembe
világol 21 éjsel.



Fabula.

Ad oram stagni blaterabat¹ anas : «Numcui bestiae di tot tam prodige dona dederunt, quot sunt mihi largiti ? Mea est et aqua et terra et aer ; me si piget meare, licet volare, licet natare».

Callidus anguis quae auscultabatur, sibilo² interpellavit³ illam dicens : «Matrona plu- migera ! non est cur altum⁴ sapias⁴ de te : neque enim curris, ut cervus, nec volas, ut falco,⁵ nec natas, ut barbus.⁶ Proinde me- mento, quod praestat non tam ex omni- bus novisse, quam esse dextrum⁷ in una arte.»

J. H. Salisburgii.

De cochlea.⁸

Mundus iam procreatus erat et animalia omnia munera ab Iove acceperant. Cochlea suo non contenta Iovem adiit et his verbis omnipotentem precatus est :

«Da mihi, Deus maxime, ut domum meam ubique mecum portare possim !»

Pater hominum ac deorum desiderium cochleae admiratus interrogavit eam :

«Quare tibi tale exposcis donum ? Metuo, ne grave ac molestum tibi sit, quod petis ! Cur tali onere te cruciare vis ? Viribus tuis non convenit⁹, quod optas. Corrige vota tua !»

¹ csacsog, gágoğ ² sziszegés ³ közbevág ⁴ nagyra
vagyok, tartok ⁵ sólyom ⁶ márna, rózsaháj (cyprinus
barbus, Linné szerint) ⁷ kiváló ⁸ csiga ⁹ megfelel.

«O immensi mundi rex, — respondit cochlea — malo tam grave onus perpetuo ferre, quam cum mihi libuerit, malum vicinum non posse vitare!»

Rector mundi petenti satisfecit¹⁰ et ex illo tempore cochleae domibus praeditae¹¹ humi reptant.

¹⁰ kérését teljesítette ¹¹ ellátva.

Leontopolis.

(Ad fabulam *Augusti Strindberg*.)

Crebrum¹ agmen¹ commorabatur in quodam clivo non procul ab urbe Heliopoli in Aegypto. Homines, omnes Hebraei, e Palæstina venerunt camelis asinisque per eandem solitudinem vecti, qua filii Israel mille annis ante iter fecerant. In lurida² luce deficiens³ lunae ignes innumerabiles micabant, apud quos mulieres cum liberis parvis considebant, dum viri aquabantur.⁴

Sed finita liberorum lavatione clamor sensim residebat: in noctis silentio turbæ contigerunt.

Sub arbore quadam mulier sedebat filiumque lactabat, iuxta eam stabat vir et sileris⁷ ramos humi spargebat, ubi asinus quiesceret, mox in verticem collis enixus ad septentriones auscultabat.⁸


Tres peregrini adventabant, quos, quantum ex vultu vestituque eorum Hebraeus coniecturam⁹ facere⁹ potuit, Romanos esse suspicabatur. Unus ex iis mulierem infantemque inquirebat, ut si eos computaret.¹⁰ Anxius Hebraeus turbationem¹¹ suam peregrinos celaturus, cum Romano sermonem conferre coepit:

— Dic, mi viator, Solisne urbs sit ista ad occidentem?

— Ut vides, respondit Romanus.

— Itaque urbs est Beth Semes?

— Heliopolis est nomen urbis, unde Graeci



Nunquam erant fortasse in solitudine tot liberi, quam nunc. Vagitus⁵ eorum tota castra complebat; matres infantibus manimas praebebant, agmen totum immensae cuidam parvolorum⁶ diaetae⁶ simillimum erat.

et Romani sapientiam hauriebant suam...
Ipse Plato olim eam visitabat...

¹ karaván ² fakó ³ apadó ⁴ vizet hord ⁵ nyöszögés ⁶ gyermek-szoba ⁷ rekettye ⁸ figyel, hallgatózik ⁹ gyanít ¹⁰ számbavesz ¹¹ nyugtalanság.

— Num potestne inde Leontopolis videri ?
 — Fastigium modo templi inde videtur.
 Urbs ipsa abhinc tantum septem milia passuum abest.

— Itaque haec est terra Gosen, quam pater Abraham quoque ingressus est et quae postea Iacob obtigit, ait Hebraeus ad uxorem versus, quae capitatis tantum nutu respondit.

Tunc Romanus interfatus est: Israel ex Aegypto in Canaanam migravit, unde post servitutem longam magna pars populi huc revertit hicque consedit. Scisne rem ?

— Audivi historiam. At nunc Hebraei viribus et opibus aucti suum templum habent, idem ipsum, quod ibi in longinquu vides.

Mox paulum moratus Hebraeus iterum interrogavit Romanum :

— Nonne haec terra sub dictione¹² Romanorum est ?

— Ita est, — annuit Romanus.

— Omnia nunc Romanorum sunt : Syria, Graecia, Aegyptus...

— Etiam Gallia, Germania, Britannia... Totus orbis terrarum nostra potestatis est — interpellabat eum dicentem Romanus, — uti vaticinata¹³ est olim Cumensis Sibylla...

— Evidem hoc concedo tibi, sed Deus patri Abraham promisit Israelem fore, qui mundum redimeret.

— Fabulam audivi, sed in praesentia omnem fidem promissorum Roma accepit. Tute Hierosolyma venis ?

— Per deserta locorum veni, sicut etiam ceteri, quos hic vides et mecum duco uxorem filiumque.

— Video, sed cur tot liberos vobiscum ducitis ?

Hebraeus contremuit... Quia autem suspicabatur fore, ut Romanus verae causae haud nescius esset, veritatem ei confiteri constituit.

— Herodes tetrarcha a Magis regem Hebraeorum in terra Iudee nasciturum esse comperit. Quod periculum ut evitaret Herodes, omnes pueros necari iussit. Eodem ipso modo, quo hic olim pharao filios nostros, natu maximos trucidaverat. At Moyses manus eius impias effugit, ut populum servitute liberaret.

— Num quis est iste rex ?

— Messias, qui nobis promissus est.
 — Et tu eum iam natum esse credis ?
 — Evidem hoc quo modo sciari ?
 — At ego scio illum iam natum esse ! — dixit Romanus. Ille autem dominabitur in¹⁴ capite¹⁴ fortunisque¹⁴ terrae hominum et omnes gentes sub potestate eius erunt.

— Quemnam illum esse dicas ?
 — Imperatorem Augustum ! — respondit superbe Romanus.

— Ex prole Abraham est natus imperator, e domo David ? Et cum pace venit, sicut Esaias praedixit ? Id quidem certum est imperatorem non eum esse, qui pacem ferat hominibus !

— Vale, si potes, fili Israel ! Nunc Romani estis, subditi¹⁵ nobis, itaque estote contenti pace atque redemptione, quam Roma vobis praebuit. — Aliam redemptionem plane nos repudiamus.¹⁶

Quae cum dixisset, Romanus abiit.
 Hebraeus uxorem leniter amplectitur : « Maria mea ! »

— Iosephe ! — susurrat mulier. — Sileas, quaeoso, mi carissime, filius noster dormit !

¹² fennhatóság ¹³ megjósol ¹⁴ élete és javai felett
 alattvaló ¹⁶ visszautasít.



A. S. Andrée

aéronauta Suecicus ante hos triginta quatuor annos una cum comitibus : E. Fränkel et N. Strindberg ad investigandum polum septentrionalem profectus est.

Magna sibi viatores proposuerunt : consilium eorum eo spectabat, ut loca, quo aliis pervenire non obtigit, perlustrarent.

Multi ante eos sine¹ effectu¹ ex itinere reverterunt, aut fame ac frigore mortem oppetivere, priusquam polum attingere potuerunt. Loca nivosa glacieque² alte² concreta² sane multas victimas postulaverunt, sed

¹ eredménytelenül ² mélyen befagyott.

A. Andrée comitesque eius tristibus exemplis non deterrebantur, quominus conata perficerent. Frustra frigore perierunt J. W. de Long quique huic se adiunxerunt cum nave «*Jeanette*», mox alia expeditio Americanorum sub duce *Greely*, ex cuius comitibus *Lockwood* et *Brainard* usque ad gradum latitudinis septentrionalis 83. pervenerunt. Re*infecta*¹ revertit Fr. Nansen quoque, qui nave: «*Fram*» gradum 86. attigit, mox nave sua reicta cum *Johansen*, quem e comitibus unum sibi assumpsit, frustra iter³ ad polum tentabat.³ Num hi duo in patriam revertissent, nisi navis *Friderici Jackson*: «*Windward*» eos recepisset?

A. S. Andrée comitesque eius iter ad polum navigio⁴ aërio⁴ ingressi sunt. Navigium gubernaculo regi non potuit, sed alia quoque res adversa eventum prosperum a⁵ principio⁵ ambiguum fecit. Cum enim subvolarent, oneris imponendi navigio, quo illud in aëre regeretur, viatores oblii sunt. In immensum altitudinis sublati aeronautae paulatim evanescebant et nunquam post reverterunt.

Triginta quattuor anni praeterierant, cum demum professor Horn in insula⁶ Alba⁶ eos invenit et ex commentariis⁷ aeronautarum sortem tristissimam detexit.⁸ In insulam, — ut ex commentariis elucet — tantum duo: Strindberg et Andrée pervenerunt, quia Fränkel labore fessus multo prius vita cessit. Sed ne Strindberg quidem diu miserias ferre potuit. Miser Andrée, cum comitem sepelisset viresque se deficere sensisset, commentarios capiti supposuit suo seque fato tradidit.

Audacem conatum ita morte pensitabant A. S. Andrée comitesque eius. Etsi conata perficere non potuerunt, tamen magnam sui famam reliquerunt, neque grata posteritas unquam eorum obliviscetur.

³ kisérlete meg az utat ⁴ léghajó ⁵ eleve ⁶ Fehér-sziget ⁷ napló ⁸ felfed.

=====

Qui pingit florem, non pingit floris odorem.

*

Saepe calamitatis solatium est nosse sortem suam.

Superbe dicta.

Iacobus II., rex Anglorum, Carolum e principibus¹ Somerset ad negotium suscipendum adducere voluit, quod legibus regni vehementer repugnabat. Princeps re insolita attonitus omnes quas potuit excusationis causas colligebat, ne sibi iussa regis exsequi oporteret. Nescisne, dixit denique rex, me regem *supra* leges esse? Quod quidem, respondit princeps, in dubium vocare nolim, sed et tu, o rex, scire debes me *sub* legibus esse!

Aemilius Láng.

*

Spartanum quendam altero pede claudum, cum in aciem descenderet,² commilito³ increpabat, cur veniret cuique esset profuturus, cum pedibus uti nihil posset. Vir fortis illum his repudiavit:⁴ «Pugnare, non autem fugere mihi proposui!»

*

Alius Spartanus referenti⁵ cuidam sagittis Persarum solem quoque obscurari sole, dixit: «Recte mones, itaque in umbra iucundissime proeliabimur!»

*

Athenis in theatro populus ab Euripide postulavit, ut ex tragedia quandam sententiam omitteret.⁶ Poeta clarus his eos repudiavit: «Fabulas componere solebam, ut vos docerem, non autem, ut a vobis discerem!»

*

Xerxes Graecis bellum illaturus principes Asiae in concilium ad se convocatos monuit: «Res gravissimas solus decernere⁷ nolim, itaque vos venire iussi. At nolite oblivisci vestrum esse imperata mea exequi, non autem mihi aliquid suadere!»

¹ herceg ² ütközethe megy ³ bajtárs ⁴ visszautásít ⁵ emlit, felhoz ⁶ elhagy ⁷ fontos, nagyjelentőségű ügyben dönteni.



V A R I A

Ziethen, generalis¹ Borussicus¹ olim in aula regis Friderici I. munere pueri² regii² fungebatur. Cuius mater marito mortuo in egestate vitam degebat. Ziethen iam³ puer

¹ porosz tábornok (középkori latinság) ² apród ³ még

regius inopiae matris pecunia opitulabatur, quam ab aliis pueris regis accepit, ut pro illis excubias⁴ ante cubiculum regis ageret.⁴

Forte accidit, ut rex insomnis⁵ tintinnabulo⁶ puero signum dederit. Cui cum non statim praesto esset, ipse eum inquisitum⁷ abiit. Puerum dormientem repperit ante mensam, in qua epistola incepta iacebat: S. V. B. E. E. V.⁸ Iam tertia nocte pro aliis ante cubiculum regis vigilabam.⁹ Oculi iam iam connivabant.¹⁰ Attamen summa laetitia perfusus sum, quod tibi, carissima mater aliquid¹¹ nummularum¹¹ mittere po...

Rex epistola perfecta marsupium¹² aureis¹³ onustum allatum in mensa ad epistolam intermissam posuit. Postridie autem puerum propter pietatem erga matrem laudatum praefectum¹⁴ dixit.¹⁴

*

Sanctus Ignatius forte Hierosolymis¹⁵ redux in litore proximo duas naves maritimas ad Italiam prefecturas repperit. Vir sanctus per Italiam in Hispaniam, patriam suam reversurus praefectum navis maioris et rebus pretiosissimis onustae rogabat, ut in navem se reciperet. Qui autem ore duro in Ignatium invexit:¹⁶ «Sanctis non est opus navibus, mare scilicet pedibus¹⁷ transire possunt.» Sanctus inde repulsus praefectum alterius navigii maxime fragilis atque putridi¹⁸ aggressus est, qui Ignatium libentissime recepit. Navigium sine ullo periculo ad litora Italiae appulsum virum sanctum sibi¹⁹ creditum¹⁹ incolumem terris reddidit, cum navis superba apud insulam Cyprum rupibus illisa demergeretur.

*

In aula²⁰ Ludovici XII., regis Gallorum nobilis quidam vitam agebat, qui agricolas superbe et contemptim tractabat. Cui rex, ubi hoc acceperat, mensae accumbenti tantum carnem et vinum ministrari iussit, panem autem apponi vetuit. Cum autem nobilis panem poscet, ministratores²¹ vel denegabant ei vel se iussum eius non audivisse simulabant.²² Quam ob rem apud regem querelas in ministratores effudit. Tum rex: «Cur non es contentus cibis tibi appositis?» Et ille: «Panis, cibus ad vitam sustentandam tam necessarius mihi desideratur²³ et a mi-

nistratoribus mihi poscenti ne frustulum²⁴ quidem apponitur.» «Hem,²⁵ hem,²⁵ inquit rex, quid ego audio! Si te sine pane vivere vix posse dicis, quare tam imprudens es, ut inhumane tractes agricolas, qui multo sudore et labore panem tibi suppedinent?»

Aemilius Láng.

⁴ ört áll ⁵ álmattan ⁶ csengettyű ⁷ felkeresésére
⁸ Si vales, bene est, ego valeo ⁹ = vigilo. Mire a levél az anya kezébe kerül, a cselekvés már elmulílik, ezért a praet. idő ¹⁰ becsüködik ¹¹ néhány hitvány garast ¹² erszény ¹³ aranypéntz ¹⁴ tisztté kinevezte ¹⁵ Jeruzsálem ¹⁶ rátámad ¹⁷ gyalog ¹⁸ korhadt ¹⁹ réa bizott. ²⁰ kir. udvar ²¹ főszolgáló ²² úgy tettek ²³ hiányzik ²⁴ falat ²⁵ ej, ej!

=====



Locosa.

Quondam Dumas minor, scriptor Gallicus, in theatro sedebat una cum Augier, qui amicus erat ei et aequo fabulis¹ scenicis¹ scribendis operam² dabat.² In theatro forte fabula scenica a Dumas conscripta agebatur. Interim Augier hominem quendam dormientem conspexit. Illum ergo auctori monstravit et dixit: Viden,³ qualem vim³ fabula tua exerceat? — Quod quamquam Dumas aegre tulit, nihil tamen respondit. Paucis post diebus ambo scriptores iterum una in eodem theatro aderant fabulam scenicam auctoris Augier spectaturi. Dumas inurbanitatem⁴ nuper acceptam ulturus auditores diligentissime observabat. Et fortuna favebat ei, nam ipse quoque hominem dormientem conspexit. Quem amico Augier ostendens dixit: Ecce effectum⁵ operis tui! Aspice virum somno oppressum! — At ille: Vehementer erras, mi amice, ait. Iste enim idem ille est vir, quem nuper dormientem vidimus, sed ex eo tempore nondum experrectus est!⁶

*

Aliquando miles in bello contra barbaram gentem gesto captivus factus est. Unus ex barbaris horologium eius aureum abstulit. Captivus ducem barbarum precibus adiit, ut horologium, hereditate patris acceptum sibi redderetur. Dux militem ad se vocavit. Obstupefactus vidit captivus militem barbarum quiete horologium sibi reddere.

— Non opus est mihi bestia, quae iam

¹ szindarab ² foglalkozik valamivel ³ videsne
⁴ udvariatlanság ⁵ hatás ⁶ felébred.

morta est, dixit barbarus. Sonus enim horologii a barbaro iam non audiebatur. Propter cuius sonum homo imprudens horologium animal esse vivens putabat, quod cum mortuum esse ratus esset, facile eo carere potuit.

Raphanus.⁷

Rusticus quidam raphanum singulari magnitudine in agro suo repperit, quem Ludovicus XI., regi Gallorum dono dedit. Quamquam liberalitate⁸ rex haud excellebat,⁹ tamen pauperibus libenter favebat centumque nummos aureos agricolae misit.

Quidam comes ditissimus, sed nimis avarus, cum rem comperisset, generosissimum¹⁰ quem habebat equum regi dono mittere (præmia multo maiora sperans) statuit. Rex illi respondit: «Liberale donum gratissimo accipio animo et pro eo dono te, quod duplicitis pretii est præmio.» Simulque comiti stupenti raphanum nuper a rustico emptum tradidit.

Maria Genthon dr.

7 rettek nagylelkűség 9 kitűnik 10 nemes.

Solutiones aenigmatum numeri VIII.

I. *E, ego, arena, egestas, extra, vas, s.* — Epigrammata tristicha aenigmatica: I. *Capillus*. — II. *Caepa*. — III. *Clavis*.

Aenigmata numeri VIII. recte dissol-
verunt: Geiza Grosschmid, Paulus Zsoldos, Ti-
burtius Zöhls, Georgia Szilvássy, Marianna Ren-
ner, Juditha Kosáry (Budapest), Franciscus Szabó
(Veszprém), Ladislaus Pichler, Martinus Stang
Alex. Fövenyessy, Jo. Horváth, Fr. Handler (Pécs)

Praemium Paulo Zsoldos adiudicatum est.

Platinum Radio Station WPLN

Solutio aenigmatis numeri IX.

A	R	I	S	T	I	P	P	U	S
A	C	E	C	A	T	O	V	I	S
R	A	C	I	E	I	A	U		
O	A	E	N	E	A	S	P	I	
H	A	U	T		S	O	L	A	
M	A	L	C			C	E	L	O
A	R	I	A			R	O	L	O
N	A	S	O		L	A	N	A	
C	A	U	L	U	L	A	T	S	I
A	T	S	E		E	I	A	U	
L	E	O	U	T	A	N	C	O	S
S	T	Y	M	P	H	A	L	U	S

Aenigma numeri IX. recte dissolverunt:
 Stephanus Alberti (Budapest), Tiburtius Hegyi
 (Debrecen), Aristides Turopoli (Kalocsa), Fr. Hand-
 ler, Jo. Horváth, Alex. Fövenyessy, Martinus Stang
 (Pécs), Discipulae cl. VI. thygatricolice (Kaposvár).
Praemium Aristidi Turopoli sorte obvenit.

AENIGMATA.

A	A	D	E	E	E
E	E	E	E	E	E
H	I	I	L	L	M
N	N	N	O	R	R
R	S	S	S	S	U
U	V	X	X	X	Y

A	A	D	E	E	E
E	E	E	E	E	E
H	I	I	L	L	M
N	N	N	O	R	R
R	S	S	S	S	U
U	V	X	X	X	Y

nomen continet, quod libramentum primum.

Epistolia Officialia.

Franciscus Szabó, Veszprém: Tu vere lector et amicus, nescio an fidissimus *Iuventutis* nostrae esse videris. Ita enim nobis de te iudicandum esse putamus, qui epistolas opusculaque sedula cura ad nos miseris. Nunc autem benigne nos invitasti ad *concentum*, qui postr. Id. Maias a symphoniacis choroque canentium discipulorum gymnasii Scholarum Piarum Veszprémiensis constituetur. Quam vellemus et ipsi concentui adessem, sed variis negotiis impediemur, quominus id faciamus. Ceterum grata erga te voluntate adducti mittimus tibi libellum *Francisci Polonyi*, magistri Sopianensis lepidissimum imaginibusque affabre decoratum, in quo auctor peregrinationem aestate anni superioris per Turciam perque Graeciae antiquitatis memoriam consecratam terram studiorum causa una cum discipulis suis susceptam mira quadam suavitate descriptis. — Vale, mi carissime tibi et *lectoriibus atque amicis cunctis feriarum tempus quam incundissimum precarum.* —

Helena Bánhegyi, Juditha Kosáry, Ladislaus Pichler, Iosephus Kereszty, Alexander Skripecz, Norbertus Karg, Aurelius Simonyi, Emericus Forró: In primo huius anni Iuventutis numero discipulos, laboris nostri socios aliquo praemio afficiendos statuimus. Ne quis vestrum aurea nos promisisse culmina, nulla tamen dedisse arbitretur, mittimus vobis eundem Francisci Polonyi libellum, de quo supra scrispsimus. — Viris autem doctissimis, qui opusculis suis nos adiuvabant gratias quam plurimas agimus.

Moderator ephemericis: EUGENIUS FBAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,
ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.
Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-
scholarium Catholicorum. — A Katholikus
Középiskolai Tanáregyesület költségén.